

Cum a b. m. Alexandro tractatum fuisset de instituendo Episcopo in Alexandrina civitate, et in tractatu processum, quod duo fuerunt ibi electi, quamvis munus consecrationis non acceperint propter odium, et scandalum, quod inde oriebatur, quum MULTAE Ecclesiae Aquensis Dioecesis essent Alexandrinae Ecclesiae assignatae. ec. . . . unde unionem illorum Episcopatum videlicet Alexandrini, et Aquensis Apostolica auctoritate freti perfecimus ec.

Cum vero Apostolico hoc privilegio ex foedere ab eis inito cum Ottone Imperatore sacris ab Episcopo Romano interdicto indignos se reddidissent, idcirco peculiari alio diplomate ab Inn. III. post plures paraeneticas ad ipsos datas Epistolas, ac causa per Episcopum et Archidiaconum Parmensem cognita fuerunt prorsus eo solemniter, privati (vid. P. II. doc. n. 20. 21. 23. 24.) Quo factum fuit, ut Alexandrina civitas in spirituales Aquensium jurisdictionem rursus devenerit, atque in hoc statu per duo saecula perseveraverit frustra in contrarium adnitente majoris Ecclesiae Canonorum Collegio.

Ex hisce itaque perspicuum fit, quo jure multa Alexandrinae Ecclesiae vetera documenta in medium produxerim. Si enim in hac collectione mihi propositum fuit, quidquid ad Aquensem historiam civilem, et Ecclesiasticam illustrandam proxime pertineret in vulgus edere; cur mihi fas non erit Ecclesiae ac Reipublicae Alexandrinae fata ac vicissitudines per chartas patefacere, quae adeo intimam ac necessariam cum varia qua populus Aquensis usus est fortuna connexionem habent? At qualem connexionem? Non illam solum, quae inter finitimas nationes cum vicinis intercedit, sed eam, quae diversos populos, qui uni Rectori subsunt, conjungit, ac copulat. Cur itaque Aquensium populorum historiam scripturo, haud liceat quod in reliquis, quae adhuc uni Praesuli subsunt, nemine reclamante fecit, ita in hac Civitate, quousque uni Episcopo parebat, atque aliquam cum universa Statiellensium natione conjunctionem, ac necessitudinem conservabat, facere.

Quae licet fidenter dicam, attamen haud celabo lectori virum nuper dignitate, et scientia clarissimum in opere ab ipso edito (*del Vescovado d' Alessandria ibi 1785.*) omni ope contendisse, ut hanc cum Dioecesi Aquensi connexionem, ac religiosam ab eo dependentiam vel negaret, vel obscuraret. Ac primo ipse ex sexdecim antiquis oppidis, quibus ut arguit constabat primitus instituta Dioecesis Alexandrina (unum enim ipse in serie p. 6. omisit, scilicet Cuccarum) septem ad Dioec. Astensem, tria ad Derthonensem, vix unum Bergamascum agnovit ad Dioecesim Aquensem certo spectasse, reliquis vel repudiatis, vel in dubium revocatis. Laetor tamen ipsum forte ignorasse quoddam Eug. III. privilegium, quo Abbatia S. Christophori de Bergamasco Episcopo Astensi confirmabatur, alioquin ne unum quidem Aquensibus oppidum sine ulla prorsus trepidatione concessisset.

Neque hic sistit clarissimus auctor, sed praeterea nil non molitur, ut evincat Ecclesiam Alexandrinam ab Innocentii tertii aetate ad usque novam Innocentii VI. Dioeceseos erectionem per se stetisse, nulli subjectam Episcopo fuisse, sed a propriis praepositis capitulo, vel Archidiacono propria potestate rectam, ac gubernatam fuisse; quod idem est atque asserere Alexandrinae ditionis incolas nil quidquam commune unquam habuisse cum Aquensium natione. Nolo nunc singillatim ejus rationes persequi, quod alterius erit loci. At sinat clarissimus vir haec generatim ad veteris sententiae defensionem opponere. Ipse ex Aquensium Dioecesi unum aut alterum oppidum, dumtaxat ab Alexandro detractum af-